


Samuel Bohl

Disputatio ... Super Sapientiam Salomonis in Proverbiis ...

**7 : Disputatio Septima ... Exhibens De Principio Divinae Ethices deductivo sexto
Mtsimmah, sc. cogitatione cum motu**

[Rostochii: Kilius], [1639]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747232539>


Band (Druck) Freier  Zugang



Verk. : J. Kälseman

L. Bohl.

R. U. Theol. 1638.



Exhibens

PRINCIPIUM SEXTUM

Sapientiae, quod est Mtsimma, cogitatio
cum motu, Latine accurata circumspectio,
Et est, cum in actionibus nostris cogitationes
nostrae moventur in omnem eventum.

1.



1. Rg. naturam exhibens est. Non dare sua Respond.
aliis, ut eis abuti queant, cum commo- MATTHI-
do, & incommodo oppositi. ASBEH-

2. Nostra dare aliis, at ut nostra ma- NIUS, RO-
neant, cum commodo & incommodo stock.
oppositi.

3. Non dare ut aliis obligemur: & ita qua futu-
ra sunt, cogitare.

1. Quinq; principia deductiva verae sapientiae vidimus, nunc ad sextum progredimur, quod dicitur מְסִימָה mtsimma. vox hae quandoq; in malam partem sumitur, sicuti & alia ipsa sapientia. Considero eam hic, prout sumitur à Salomo ne & est principium sapientiae, ubi actiones nostras colligatas ita adhibemus, ut nemo nos, nos autem omnes alios ligare queamus, ut nos nobis constemus, & nunquam seducamur, plenioris descriptionem vide in dicendis.

Cap. 5. v. 1. *Fili mi, ad sapientiam meam adverte, ad discretionem meam inclina aurem tuam.*

2. Hoc exordium est hujus principij, & succinctum quidem satis. At ut in praecedenti principio demonstratum est, quomodo principia posteriora aliquid addant quod ad perfectionem priorum faciat, & id jam si repetivisset Spiritus, inanis receptio esse videretur. Sapientiae nomen hic praeposit, qua-

M

tenus

78. De Principio Divina Ethices deductivo sexto

tenus præfens principium vera sapientia est, subjungit discretionem, quia generalis forma hujus principij maximè in discretionem consistit, ut in progressu videbimus, ex parte speciali patet. Propositio est in v. z.

Ad custodiendum Metimma, ut rerum complexus labia tua conservent.

3. Nexus: Attende jam & aures tuas adverte ad sapientiam meam, si hoc feceris, & sextum principium *הַשְׁמִימָה* etiam acquisiveris, etiam generalissimum commodum, quod rerum complexus labia tua conservabit adipiscèris.

4. Hoc generale commodum implicitum argumentum est, & ita quod in explicitis iterum observamus, labia conservant rerum complexum, cum omnia externa nostra, quæ ad sensus aliorum veniunt ita sint comparata, ut nostra maneant, & iis cum constanti effectu non possis abuti, contra, cum ea, quæ in aliorum sensus incurrunt, ita sint comparata, ut iis contra nos uti queant. peccavimus contra principia.

5. Hoc commodum generale, naturam simul involvens, clarissimè patet in ipsis confirmationis argumentis, ubi primum argumentum exposuit his versibus:

I. Argum.

- v. 3. *Quia farum stillant labia peregrina, & levius est guttur ejus quam oleum.*
4. *At finis ejus est amarum sicuti absynthium, acutum, sicuti gladius anceps.*
5. *Pedes ejus descendunt ad mortem, infernum gressibus ejus apprehensuri.*
6. *Viam vitam autem ne regules, moventur orbita ejus, ut non cognoscas.*
7. *Quare nunc o filij attendite mihi & nolite declinare à verbis oris mei.*
8. *Deserte ab ea viam tuam. & ne accedas ad januam domus ejus.*
9. *Ne des aliis decus tuam & annos tuos feroci.*
10. *Ne saturentur peregrini robore tuo, & tuo labore parata sint in domo alieni.*

II. Et

11. *Et rugias in fine tuo, quando consumpta est caro & corpus tuum.*
12. *Et dicas, quomodo postposui colligatam informati-erem & quando arguitionem spreuit cor meum.*
13. *Et non obtemperavi voci Doctorum meorum, & docentibus me non adverti aurem meam.*
14. *Quam cito veni in omne malum in medio congregationis & conventus.*

Ex his natura principij nostri eruitur, quæ est non dare sua aliis, ut illi iis abutantur.

5. Hoc fit dum actiones nostras ita informamus, ut non mali nos, quasi captos pro lubitu tractent, & à malo in malum ab incommodo ad incommodum ducant. Docetur hoc in simili peregrinæ uxoris, quæ Salomoni familiaris est, & peregrinam sapientiam repræsentat, ita tamen ut & literaliter ipsa res quæ dicuntur veræ sint, & ad principia pertineant, ex quibus ad proverbiorum morem alia, quæ sub simili vera sunt, deinde eruuntur. Sic rectè dico homo peccat contra Mtsummah cogitationem cum motu, quando scortatur cum uxore quæ sua non est miscetur. Ubi cum primum patitur se ligari ab ea contra principium præcedens Musar, ligatus capitur, captus cogitur omnia sua dare meretrici, partim dum cor patefacit, partim cum ita loquitur, quibus eum postmodum decipere potest meretrix, partim dum cū eâ concumbit, ex quo suscipit filium meretrix, ita sibi colligavit captum ut postmodum in eo puncto peccet, & meretricis esse cogatur.

6. Sub hac meretrice venit omne quod vos decipere potest sub specie boni, quæ pessimum finem gignit.

7. Species boni est fayum stillare in labijs i. e. in externis promittere mel & rem dulcissimam, sic Cant. 9 v. 11. Quamvis ibi & externum & internum simul concurrunt. 2. Guttur leve habere i. e. multum promittere sine omni hæsitazione & dubitatione, ut quis audiens facilem viam in ita loquente esse præsumat, sic sumitur Proverb. 2. v. 26. & cap. 7. v. 5. De verbis ipsis, de ore Psal 55. v. 22. De lingua Prov. 6. v. 24. de labijs Psal. 12. v. 3.

8. Finis malus, est amarum sicut absynthium, tunc res bona demum esse censetur, cum finis bonus est, hic species boni exitum pessimum consequitur propter finem pessimum Jer. 9. propter pessima opera absynthium i. e. finem malum, sicuti experimur absynthium gustatum amarum esse. Sic Amos 6. v. 12. Finis justitiæ verus dicitur esse absynthium quod fieri non debebat, malum pro bono substituendo. Opponitur absynthium speciei mellis & favi levis, levi autem & glabro conspectui opponitur gladius levis. hunc gladium dixi ancipitem motus hac ratione, qua gladius orium, ut ita loqui liceat, in hebræo est, *das Schwerdt/das Munde hat*/novimus autem quod una pars gladij unum os dicatur, altera pars alterum, mucro itidem, quod os. Ergo arbitratus sum me non contra scopum facere, si ancipitem explicarem. hodie cum omnes gladij ancipites, ea determinatione supersedere possimus; at pro ratione istius temporis, hæc ut determinavit Spiritus, ita & merito hic in sensum venerunt.

9. Idem finis malus fufius deducitur v. 5. & 6. cujus primum est, quod pedes ejus tendant ad mortem. sicuti species boni supra finem malum directè oppositum habebat, ita & in v. 5. & 6. malus finis priores species absorbet. pedes descendunt ad mortem, quatenus & ipsa meretrix, & quod sub vocis hujus complexu cõtinetur, morti adjudicatur, & quod sequitur eam: ita plus est in fine, quam in specie boni. gressus ejus apprehendunt infernum, quatenus malum ejus est irrevocabile, seu incurabile sicut cum ex Proverb. 7. v. 11. Pedes ejus non manent in domo ejus, ita moventur extra à malo in pejus, & se sequentes sequuntur; unitos deturbat: Apprehensio hic notat ipsam rei mediatam affecutionem sicut Prov. 11. v. 16. Alterum est, non regulare posse viam. confectarium hoc est ex superioribus, si enim via nostra in altero est, non nos sed alter viæ nostræ director est. Prov. 4. Jubemur dirigere & regulare, at tunc capti sumus cum *Mtsimmah* non habemus, ut non quæ velimus possimus, etiam si maximè velimus. Tunc eaim adversarius in peregrina sapientia suum perversum contra nos continuat *Mtsimmah*, nam
nere-

ne regulare queamus viam, orbitæ ejus moventur & instabiles sunt, ut nunquam ad veram rei considerationem pervenire liceat.

10. Clarum exemplum in observatione hujus principij habemus in Eva in Paradyso, ubi serpentis labia stillabant mel & guttur ejus erat levius oleo, at finis ejus erat. absynthium. Gladius anceps acamini respondere poterat hoc nos hodie experimus, quando pedes ejus descenderunt in mortem, & gressus ejus apprehenderunt infernum, & nunquam semitam vitæ apprehendissemus, nisi sapientiæ pater Jesus Christus intervenisset.

Seriò ergò studendum est, ne nostra externa in verbis & actionibus ita informemus, ut iis alii contra nos abuti queant, in hunc finem tam gravi collectione eandem naturam sapientiæ affectandam inculcat spiritus versibus subsequenter.

Remove ergo ab ea viam tuam i. e. noli agere, sicuti peregrina sapientia meretrix & quod te decipere potest, & ut hoc facilius fiat, ne accedas ad januam domus ejus. Qui ad januam. Ohel moed veniebat, erudiebatur vel audiebat ea, quæ Deus volebat, vel offerrebat sacrificia Levit. 1. v. 3. Exod. 29. v. 4. Qui ad januam hujus domus venit, vix non sacrificium factus recedere potest, ad minimum dubius redditur, si planè non decipiatur. hinc sapienter & prudenter dissuadetur accessus. Nam periculum est, *ne alii demus gloriam nostram, & labores nostri sint in domo peregrini.* Cùm enim, ut supra dictum est, contra principium hoc peccamus, nostra damus aliis, ut iis utantur, sub generali hoc argumento, in quo latent specialia. *Damus decus nostrum aliis, cùm contra hoc principium actiones instituimus, ut alij saturentur iis, quæ nos labore acquisivimus* וְהָיָה דְעוּסָא דְעוּסָא דְעוּסָא decus est, hoc in loco consequens actionum egregiarum. Confer. Job. 39. v. 20. de consequenti quodam in equo 1. Reg. 29. v. 25. De consequenti regni Jer. 30. v. 30. De consequenti vocis alibi. Pono casum, in certa quadam actione observavit quidam *Daath, Seceel, Thuschiah, Musar,* & lapsus est in *misimamah*, tunc suum decus dedit aliis. Exemplum illustre est in

¶ 2 De Principio Divinae Ethices Deductivo sexto

Salomone à sapientia deficiente in fine dierum suorum, nam quando cultibus peregrinis se mancipabat, dabat aliis, quibus contra eum uti poterat hostis, quem Deus puniendo suscitaverat.

11. Quod enim bene notandum est, in omnibus nostris actionibus Sapientia, quam describo, non invenitur, sicut & nec consequens bonum, sed in certis quibusdam. E. g. In fide vera in Christum sapientiam veram habeo, *habeo daath, binah, sechel, Tbuschiah, Musar, mtsimmah* etià nemo me privabit, contra illud n. quod ex externis meis contra me adhibere posset Sathan per cogitationem cum motu, seu per *mtsimmah*, jam ita me informavi, ut nihil cum effectu cōstanti inducere queat, præsertim cum Spiritus Christi in nobis sit. In aliis actionibus quis se probet. Probet se, inquam, mature, *ne in fine rugire necessum habeat, & deplorare suam stultitiam*, quod *musar*, præcedens principium, negligens ad hoc pervenire non potuerit. Mature, inquam, hoc fiat, *antequam caro & corpus consumatur*. Caro & corpus rectè constituta, sunt ea quæ nos conservant in vigore vitæ, & quæ de eo restantur, sicuti id forma vocum docet. Cum deficit caro & corpus, hosti malevolo resistere non possumus, sic cum peregrinis devorandam dedimus nostram substantiam, mancipia reddimur alienæ libidinis, quod in hoc puncto, ut aliquoties dictum est, fit, dum ita agimus, ut actiones nostras contra nos cum constantia usurpare queat adversarius. Cum hæc agimus, citò delabimur in omne malum, in *medio congregationis & conventus* i. e. publico exponimur ludibrio. Hoc est primum argumentum naturam & incommodum neglectæ naturæ. Cur *Mtsimmah* vertatur per cogitationem cū motu satis sufficienter exposui, & quia hoc principium verti per *cogitationem cum motu* in fine primi argumenti dabo rationes, easq; ad illud applicabo, libentissimè autem aliam & commodiorem vocem audibo meam mutans. Cogitatio cum motu, quia in hoc principio ita cogitamus, & res & actiones & cogitationes, ut moveantur in alio, & non in nobis ipsis, hoc modo im-

perfe-

perfectum & damnosum est principium, & ita hic non sumitur, sed ita quando *cogitationes, verba & res nostrae moventur ex nobis in alium*, ita ut in nobis manentes aliam nobis devinciamus nos autem aliis non devinciamur, cum enim aliis devincimur praesertim sapientiae peregrinae, tunc ea directe contra nos habet misimāh, quamvis ut peregrinae sapientiae principium.

12. Huic primo argumento, quod per multo specialiores rationes posset deduci, nisi properarem ad finem, opponitur argumentum secundum naturam ponens theticè, sicuti primum ponebat stericè. Exhibetur autem in his versibus:

v. 15. *Bibe aquas ex cisterna tua, fluent a medio putei tui.* II. Argum.

16. *Diffluent fontes tui foras, in Plateis rivuli aquarum.*

17. *At tibi sint soli & non peregrini tecum.*

18. *Erit fons tuus benedictus, & lataberis certe ex uxore adolescentiae tuae.*

19. *Cerva amabilis & caprea pulchra ubera ejus irrigabunt te omni tempore, te qui in amore ejus perpetuo erraturus es.*

20. *Et quare errare velles, o fili mi, in peregrina, & amplecti sinum aliene.*

21. *Nam coram oculis Jhovah via viri sunt, & ille omnes orbitas ejus expendit.*

22. *Peccata ejus capient eum, ipsum, inquam, turbulentum, ut in funibus deflexionis comprehendatur.*

23. *Ut ita ille moriatur sine colligata informatione, & in multitudine stultitiae suae erret.*

13. *Aqua bibuntur ex cisterna nostra, cum non ex aliis nos reficimus sed ex propriis, quod fit, dum non nobis intelligimus, sed quia alij intelligunt, id pro intellectu nostro acceptamus, quasi esset nostrum, quod quam turpe sit, vel ex eo conspicitur, quod conferri queat cum homine, qui contumbit cum uxore alterius, quasi sua esset conjux, ut infra latius deducit Salomo, dum ita intelligimus facile decipimur, & nos ipsos exponimus aliis, ut illi nobis abutantur. Hoc malum quam varie in*

riè in mundo communiter committatur, me tacente etiam notum est. Concionator & Theologus si non ex suis cisternis bibat, sed credat aliis, ipse autem fundamenta rerum ignoret, sapientiam hanc non habet. per directum enim vel per indirectum falli potest, cum nesciat, quid exinde, quod ex sententia alterius doceat, sequatur. Sub qua miseria olim detenti fuerunt homines, qui credere cogebantur uni personæ, quæ si abuti voluisset auctoritate, quod & sæpe factum esse scimus, in illud barathrum deducere potuit sequentes, ex quo in æternum se extricare lapsus non potest.

14. Princeps politicus, cum puer est, Esa. 3. & ipse res, quas administrare debet, non intelligit, facillimè à consiliariis decipi solet, qui eo ad quævis abuti noverunt. Isbofet filius Saulis, tales princeps videtur fuisse, contra quem iniquum mtsiramah habuit Abner. captus fuit Isbofet à Generali, & dum tacebat Isbofet, Rex manebat; dum loquebatur vacillabat & tandem ruebat. sic & tam miserè se prostituit, qui ex aliena cisterna bibit, ut nos concumbentes cum uxore patris arguere audeat.

15. Hæc ipsius deducuntur à Salomone *Fluunt fontes tui foras &c. at tibi sint soli.* In quibus verbis adhuc accuratius docetur, quando & nostra ita debeant à nobis exire, ut tamen semper nostra sint & maneat. Diffluere hic notat commodum ex alicujus sapientia, quod meritò in alios derivatur, at ita ut in & cum nobis esse intelligatur. Si enim illis bonis proximo inservire velim, quæ mea non sunt, maximam incurro injuriam: si autem iis inservire voluero, quæ num inservire queant, ignoro, & nudè ab aliis accepi, & non mea sunt tantum ut firmiter norim qualia sint sed & aliorum, à quorum dependeo auctoritate, tunc stulti merear denominationem, & insanientis imò decipientis affectem titulum. Ponam casum in doctore, qui, quæ docet ex fundamento ignorat, de eo rectè dico, *ipsius fontes desluunt foras, at non sunt ipsius solius, sed alterius*, ex quo sine ratione sibi cognita & constanti hæc excrispserit. Decipi ergo ille potest, & se prostituere, ut alij illo abutantur.

tur. Si autem contra ex propriis quos ex principiis prioribus sapientia acquisivimus, fontibus bibamus, *Tunc fons noster erit benedictus, & letabimur ex uxore adolescentie nostrae.* Fons benedictus est, cum benedictio ex ipso fluit, quod fit, dum ex vero sapientiae fundamento ita & nobis & alijs inservimus, ut benedictum & beatum proclamant fontem nostrum. eiq; non maledicant, cum in fine, se deceptos esse, animadvertant. Sic Christi fons benedictus erat, cum mulier in actu ejecti diaboli felicem deprædicabat & benedictum uterum, qui Christum portavit quia Christi verbum benedictum esse deprehendebat. Hic fons deinde rectè confertur cum fonte Israël ex Psal. 68. cum ex eo noster derivatus sit sub Dei sequela. Conferatur aliàs pars Proverb. special. cap. 10. in tractatione orbitæ principiorum.

16. *Tunc latari poterimus ex uxore adolescentie nostrae.* Imperativus in materia necessaria, sicuti exemplum habemus inter alia in Psal. 37., venit pro futuro secundo. Uxor adolescentie sumitur communiter vi formæ, ut alibi dictum est, ex qua excutimus liberos, qui מורעב excussi dicuntur. Hæc autem in hoc loco est propria, & à Deo nobis legitime data sapientia quâ ceu nostrâ utimur. Si quis autem veller hinc urgere sensum literalem (qui autem in Proverbiis non solus est observandus) & rectè, etiam rectè applicamus ad nostrum principium mtsimmah quamvis ceu ex fundamento, de re ipsa propriè Spiritus hinc non loquatur dicimus, qui aliam uxorem ceu suam in thorum trahit, dedit se alij mancipium, quæ ipsum cepit & decepit; contra qui suâ utitur uxore, ritè gaudium ex fructu ejus capit. At, ut dixi, de sapientia appropriata & à Deo nobis concessa hic agit Salomo, de qua rectè dicitur, quod *Ubera ejus nos irrigent omni tempore.* Irrigationem uberum, si propriè sumi velis, gaudium infantis non viri esse arbitror: ergo hinc talis uxor, quæ & marita & mater, est, videlicet sapientia vera nobis concessa, ea cum à nobis diligitur, quod fit dum in ipsius amore erramus, & perpetuò occu-

pati sumus. Sic sumi potest Proverbiorum 5. v. 23. **וְכַרְבֵּן יִשְׁאָר**. Quod quidem rectè explicatur, *Wett er ein Narr ist/muß er immer närrische Dinge für haben/und darinn jren/at simul, und darinn sich befinden lassen.* Illud si fecerimus, sicuti caprea curret & properabit ad p'acendum nobis uxor.

17. Distinguitur autem hoc argumentum à præcedenti, etiam in modo, quem subingerit, dare quidem nostra alijs, at ut nostra maneant, item ut sint tantum in plateis rivali nostri, fons autem foras & item ultra procedat, quæ hîc clarè exhibentur. Commodum hîc quantum valeat, facîle ex dictis eruitur, præsertim autem est (1.) benedictio fontis nostri, cum Deus in nos quasi descendat, cum à diaboli satellitibus conspurcatus eum esse non deprehendit, (2.) Dominatus super nostra, quod quantum sit commodum, dici vix potest. (3.) nostrorum genuinus usus, qui non contra sed pro nobis militabit.

18. Incommodum eruitur ex oppositione commodorum pro more Proverbiorum. At præterea etiam quædam specialiter ex jam allegandis versibus depromi possunt, v. 20. *Quare errabis in peregrina* i. e. quare tu alijs te vis mancipare, ut te abutantur & tua ratione, quam Deus sibi voluit esse sacram, & *amplecteris suum spurie?* Hoc ut & præcedens, si literaliter de peregrina uxore intelligatur, argumentum tamen vim suam non amittit. Qui enim in peregrino gremio jacet, decipitur. Simsonis exemplum instar omnium esse posset, nisi mysteriorum divinorum ratio hîc diversitatem quandam statueret. Extra considerationem illam tamen multa huc prudens Lector referet.

19. Amplectimur autem in sapientia peregrina gremium peregrinæ, cum statuta & legibus ejus nos subijcetes, & non nisi malum generantes, malo nos mancipare cogimur, & illorum deceptionibus constringimur.

20. At quantum malum propriè hoc malum excipiat facîle con-

¶ conijcimus ex subsequentibus verbis. Nam *coram Domino sunt via viri, & ille orbitas ejus trutinat.* Si nos non trutinare & expendere velimus gressum nostrum, Prov. 4. v. 27. tamen est qui expendat, at cum nostro periculo. Nam facile ex Psal. 78. v. 50. aliud librare eligere posset Deus, quod cum ira Dei sit conjunctum, intolerabile nobis onus; additur enim in textu; *Tranquillitates ejus capient ipsum, ipsum, inquam, turbulentum, ut in funibus peccati sui comprehendatur.* Peccato funes attribui testatur Esaias cap. 5. quo aliquid enim trahitur, promovetur & constringitur illud funium nomine venire potest. Job. 36. v. 5. Est. 1. 6. Peccata capiunt turbulentum, quando ipse agit, quæ non agi debent, & ex orbita viæ principiorum excedit, tunc enim non potest non capi, cum extra orbitam hanc mera sint ubivis retia. Et cum non ligari voluerit ut maneret in via, morietur etiam sine *Musar*, & mortuus præter stultitiam nihil exercere potest. Omnes enim mortui dicuntur, qui sapientiam Salomonis non amplectuntur, præter foetere, alijs molestum esse in sapientis oculis, nihil habent turbulenti. Ita in his duobus argumentis satis operosè monstravit Salomo, quomodo non pati debemus, ut ab alijs decipiamur & ipsorum deceptionibus constringamur.

21. Qua cautione ab illis constringamur, probatur argumento tertio, ubi vi huius principij non debemus concedere, ut alijs obligemur, descripta constringitione. Artificiose autem methodo hæc docet Salomo, cap. 6.

v. 1. *Fili mi, si sponderis proximo tuo, stipulat à manu peregrino aliquid promiseris.* Arg. III.

2. *Tunc irretitus es verbis orû tui, imò captus es verbis orû tui.*
3. *Fac hoc nunc, ô fili mi, & eripitor, nam venisti in manus proximi tui, ito, te ipsum demitte & prave proximo tuo.*
4. *Noli dare somnum oculis tuis, nec dormitationem palpebrâ tuis.*

N 2

5. Eripi-

88 De Principio Divina Ethices deductivo sexto

5. Eripitor sicuti caprea ex manu & sicuti avis ex manu aucupis.

22. Nexus argumenti talis est : Qui se obligavit, ut sponsor pro proximo, ligatus est peregrino, ubi juxta jus commune, nihil aliud requiritur, quàm ut se solvat : Peregrinus enim alias tenebit, quod primum occurrit, imò ipsum debitorem seu sponsorem. Proverb. 11. v. 15. c. 20. v. 15. &c. Imprimis autem qua hunc sensum legatur Proverb. 17. v. 18. versus tam in fundamento, quàm in collatione proverbiali lectu dignissimus. Ita vult argumentari : sicuti qui pro alio spondet, obligatus est, ita juxta hoc principium nemo se debet alij obligare; si autem factum sit, debet studere, ut evadat, quæ in specialiori phrasium & rerum explicatione clariùs perspicentur.

23. Si sponsoderi formaliter, quantum hinc satis est, si te miscueris, sponsor enim miscetur cum creditore & debitore, si infixeris manum tuam peregrino, *Wo du deine Hand in seine Hand geschlagen* & id est, quod supra dixi *stipulatâ manu promissisti*. *Ilaqueatus & captus es*, laqueum tuum parasti, quo alter te cepit, verba enim oris ceu promissiones cadunt in debitum. Ex his rectè colligitur, quod, qui in vita communi spondet, dum non constituit pro egeno in omnem casum, debitum solvere, vel per se non est solvendo, etiam peccet contra hoc principium, dum se alij obligavit, & se alij abutendum præbuit. Hæc periculosa sunt. Qui ita in re corporali, vel etiam simili colligata obligatus est, faciat ut eripiatur, nam venit in manus proximi sui. Qui cum pessima uxore conjugium init, & is captus est verbis oris sui; Qui communionem cum malis affectat, & eâ realiter utitur, illaqueatus est opere suo, quia non adhibuit *cogitationē cum motu*, nō usus est accurata circumspeditione. Circumspicere n. & moveri debuisset in omni eventus. Unde cum captus est, omnia media tentet evadendi, *demitte se*, in corporalibus solvat, vel per supplicationem debitum remitti petat, in spiritualibus Deo se submittat, & caput deprimat, quod rete post caput & tergum projicere queat,
ut ita

et ita latiore campum currendi assequatur, & prævaleat quasi, cum vel movet precibus detinentem vel effugiat sicut caprea, quæ cum potest, non diu tergiverfatur, sicuti avis, quæ de repente avolat, unde maxime, præsupponitur, ut evadere queamus.

24. Hoc argumentum dupliciter deducitur: primò ab exemplo naturali, quod imitari debemus, deinde à descriptione eorum, quibus ne obligemur, sedulo est danda opera. Formica est exemplum, quod imitari debemus. Hoc animal in certo puncto videtur representare *Mtsummah*, cogitationem cum motu, seu accuratam circumspeditionem, dum de æstate dispicit, unde in hyeme vivat. quare in æstate cibum parat, ne hyemali tempore famem illam constringat & vexet, DUM VIDENTUR COGITATIONES EJUS, Quas habet in æstate, MOVERI INHYEMEM, propter quem motum in æstate sibi cibum parat, ne ab hyeme ligari & perdi queat. Ita Salomo:

v. 6. *Ita ad formicam ignave, & vide vias ejus, & sapiens evade.*

7. *Quamvis ei non sit dux, nec præfectus, nec dominator:*

8. *Tamen parat in æstate cibum suum, postquam congregavit in messe escam suam.*

9. *Quamdiu ergo tu piger cubabis? quando surges ex somno tuo?*

10. *Quando est parum somni intempestivi, parum dormitationum, parum complicationum manuum ad demittendum.*

11. *Tunc veniet sicuti viator paupertas tua, & defectus tuus sicuti vir cum scuto.*

25. Brevibus Grammaticalia tangam, Paupertas venit ut viator i.e. ex inopinato. Quis enim novit, num hodie viatorem ex Persia vel Moscovia, & quando habitaturi situs. Ut vir scuto i.e. venit inevitabiliter. Quis potest armatis viris resistere, quis tali paupertati? Parum somni, parum dormitationis, parum complicationis manuum, sunt signa pigri, etiamsi per totam

noctem dormiverit, de die tamen dicit: parum dormiam, imò ne dormiam quidem, sed tantum dormitabo, imò ne hoc quidem, sed tantum manus demittam in gremium, & tunc illud, totum absolvit diem, & dormire, est ponere manus in gremiū. Viæ formicæ sunt modi agendi, ut hoc satis notum est. *PATAE in estate* i. e. dum adhuc æstas est in qua collegit fructus.

26. Hoc animal illustre exemplum exhibet amplectendi mtsimul, ut in omnibus actionibus cogitemus, quid futurum sit, anne quod possibile est, ut contingat, nobis possit nocere, sicuti formica quasi cogitur, ut putet, hyemem instantem posse fame enecare. Ita ne obligemur, quævis rectè præponderanda sunt. Unde maximum in rebus agendis studium & diligentia requiritur, ne ex negligentia id non præcaveatur, quod maxime erat præcavendum, ne cum minime putamus, inevitabile malum incurramus. Secundum in hoc argumento considerandum, est hyems in hominibus, sicuti enim formicæ in anno timent hyemem, quæ possit ligare miseris; ita in mundo quædam in hominibus maxime timenda sunt ceu hyems, contra quam homines sapientes se maxime præmunire debent.

v. 12. *Homo nullius usus, vir iniquissimus, ambulans in perver-*
sitatibus oris.

13. *Nictans oculū, fricando loquens pedibus, docens di-*
gitū.

14. *Et quia versutia sunt in corde ejus, versans malum o-*
mni tempore, contentiones immittit.

15. *Idcirco subito veniet calamitas ejus, de repente consu-*
metur, ut non sit sanans.

27. Hanc hyemem fugite formicæ sapientes. In homine præcaveto, cum actiones ejus videbis esse *בלעל* sine utilitate, quæ tantum ad incommodum proximi sunt directæ, Hic niger est, hunc tu, Germane, caveto. Signa ejus audi, *ambulans est perverſitatibus orū*, quod modo affirmavit, modo negat,

negat. amicus est in præsentia, hostis in absentia, diabolus est mihi, cum conversatur cum ignotis, Angelus bonus, quando cum amicis. Hunc qui sapiens es, caveto. Nam sicuti Proverb. ii. v. 20. *Perversus corde est abominatio Domino*, ita multo magis ore, quod ex corde perverso fluit. Hic curet sapiens, ne ab hujus hyemis frigore concresecat. Signa ejus magis in oculos incurrentia audias. *Nictans est oculis*, Et hæc functende Augen/de quo Salomo alibi dicit, Proverb. 10. v. 10. *Nictans oculis dare solet dolorem.*

28. Hunc caveto, si hoc principium rectè observare volueris. Imò qui loquitur pedibus, quamvis hinc superior forma ad *Scharren* Germanorum desiectens, inveniatur. *Talis etiam est digitis docens*, i. e. monstrans falsum quid digitis. Si in hoc etiam versutiæ cordis inveniatur, diaboli legatum esse dicas, Principali pejorem, cum contra illum crux Christiana non tanti censeatur esse roboris. A tali homine præter contentiones nihil expectare licet. Nam odium, ut Salomo alibi, excitat tales inutiles contentiones & vi formæ judicandi actus. Hos vitet sapiens vi hujus principij, nam alias, sicuti eorum calamitas citò ingruit, ita & eorum, qui ab ipsis decepti, eundem decipiendi modum approbarunt.

In summa, hæc septem requisita, quæ in allegatis versibus continentur, trahunt secum alia, quæ abominatio Domini Dei nostri dici mereantur, sic enim porro Salomo :

v. 16. *Sex illa odio habet Dominus, & cum septem evaserint, sunt abominatio animæ ejus.*

17. *Oculi elati, Lingua MENDAX, manus effundens sanguinem innocentem.*

18. *Cor evolvens cogitationes iniquitatis, pedes festinantes ad currendum ad malum.*


19. *Item talis est qui efflat quasi mendacia, testis falsus, & mittens contentiones inter conjunctissimos.*

Si

92 *De Principio Divinae Ethices deductivo sexto*

Si diaboli formam & imaginem nunquam videris;
Lector, hic lege, hic depictus est vivis coloribus in suis
Legatis, à quo nemo, nisi in eo puncto hoc principium
sapientiæ habeat, sibi satis cavere
potest.





Misimma sc. colligatione cum motu.

tur. Si autem contra ex propriis quos ex principiis
sapientiæ acquisivimus, fontibus bibamus, *Tunc fons
benedictus, & letabimur ex uxore adolescentiæ nostræ*
benedictus est, cum benedictio ex ipso fluit, quod fit
vero sapientiæ fundamento ita & nobis & alijs in serv
benedictum & beatum præclament fontem nostrum.
maledicant, cum in fine, se deceptos esse, animadver
Christi fons benedictus erat, cum mulier in actu eject
felicem deprædicabat & benedictum uterum, qui Cl
portarit quia Christi verbum benedictum esse depreh
Hic fons deinde rectè confertur cum fonte
ex Psal. 68. cum ex eo noster derivatus sit sub Dei
Conferatur aliàs pars Proverb. special. cap. 10. in tra
orbitæ principiorum.

16. *Tunc letari poterimus ex uxore adolescentiæ*
Imperativus in materia necessaria, sicuti exemplum
inter alia in Psal. 37., venit pro futuro secundo. Uxo
scientiæ sumitur communiter vi formæ, ut alibi dictu
qua excutimus liberos, qui עורר excussi dicunt
autem in hoc loco est propria, & à Deo nobis legitim
pientia quâ ceu nostrâ utimur. Si quis aut
hic urgere sensum literalem (qui autem in Proverbii
lus est observandus) & rectè, etiam rectè applicamu
strum principium *misimma* quamvis ceu ex fund
de re ipsa propriè Spiritus hic non loquatur
qui aliam uxorem ceu suam in thorum trahit, dedit se
cipium, quæ ipsum cepit & decepit; contra qui suâ ut
re, ritè gaudium ex fructu ejus capit. At, ut dixi, de se
appropriata & à Deo nobis concessa hic agit Salomi
rectè dicitur, quod *Ubera ejus nos irrigent omni temp*
gationem uberum, si propriè sumi velis, gaudium in fa
viri esse arbitror: ergo hic talis uxor, quæ & marita
est, videlicet sapientia vera nobis concessa, ea cum à
gitur, quod fit dum in ipsius amore erramus, & perpe

N

